

tii 1685. literis gratulatur: *Habetis, inquit, modo viros, qui Dominum Davi (Arnaldum) sublevare valeant. Arctum hic servabo silentium de novis istis hospitibus.* Tunc potissimum ex illo Arnaldi, & utriusque Quesnelli latibulo velut ex equo Trojano prodire tot scripta exitialia, velut incendiariae faces, quibus haecenus Belgium arsit. Inter scripta illa fuerat quatuor pro condemnata à Lovaniensibus Ægidii de Witte, seu Candidi, doctrinâ: *Judicium æquum: Judicii æqui defensio: Responso ad Observationes posteriores: Epistola cujusdam Ecclesiastici de mente S. Augustini circa Auctoritatem Pontificis.*

In *judicio æquo* pag. 4. dicitur, *Neque scandalosum est, neque perniciosum dicere, Pontificem esse in Ecclesiâ per Concilium Oecumenicum representatâ, id quod Præses est in Concilio Arcano.* Ubi Pontificis cum Arcani Concilii Præside videtur paulò honorificentior, quàm cum primo Scabino Magistratûs, aut Plebano, seu principis Ecclesiæ Pastore comparatio; Verùm sensu quodammodò convenit; quod durius Quesnellus exprimit in citatis *Dialogis* pag. 68. dicens: *Pontificem Romanum, & ceteros in suis Diocesis Episcopos ÆQUALEM habere judicandi de dogmatibus potestatem.* Tertia Ægidii Candidi propositio, quatuor testium, interposito juris-jurandi Sacramento, denuntiatione sic continetur: *Ad hoc, quod aliquis ei opponeret, Archiepiscopos, & alios Episcopos in publicis literis solere dicere se esse Dei, & Apostolica Sedis gratiâ tales. Respondit esse abusum, & errorem à quingentis circiter annis introductum, nec primis decem seculis Episcopos tali modo fuisse locutos, sed dum rem quandam haberent cum Papa, sive Episcopo Romano, eum simpliciter nominasse Confratrem; non autem Papam, vel Pontificem, adducendo in probam sui dicti, Jacobum præsedisse in confesso Apostolorum, non Petrum; Quia hic confessus celebrabatur in Diocesi Jacobi.*

Quam Propositionem hâc censurâ notare Lovanienses, : Cum judicemus Archiepiscopos, Episcopos, Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ esse, & fuisse tales, antequam in literis suis hoc dicerent, judicamus temerarium esse, formulam illam erroris, & abusûs accusare. Si autem, ut justificatio habet, solum *Novitatis* formula illa taxata sit, etsi non falsum, tamen malè sonans est. Et quantum ad exemplum Jacobi præsentis in sua Diocesi, præsentis Petro, quatenus per hoc insinuari videtur Petrum non fuisse supra Jacobum saltè in Diocesi Jacobi, & sic innuitur tacitè, Papam non esse supra Episcopos in Diocesi

iporum, erroneum est. In motivo tamen juris, seu defensione sua videtur negare se dixisse, attento, quod dicat fieri posse, ut Petrus in confesso illo Primatûs sui jure, cesserit, : *Quæ trica ad excusandas excusationes in peccatis!*

Quarta Ægidii propositio est, : *Di-ctum Christi: Tu es Petrus, & super banc Petram edificabo Ecclesiam meam, solum fuisse dictum Petro personaliter, non in illo successoribus suis.*

FACULTATIS CENSURA: Ad quartam, : Si ita intelligatur, ut potestas Clavium à Christo Matth. 16. promissa, & postmodum data, negetur successoribus concessa, censemus posse ut hæreticam censurari, .

His pro Apostolica Auctoritate judicii Lovanienses indignationem totius factionis anti-Pontificiæ incurrerunt; adeò, ut è Gallicano Belgio Episcopus à Quesnello in sui patrocinium citari solitus, ita scripserit Infulis anno 1688. ad Martinum Steyalt epistolæ pag. 29. *Vestram Facultatem semper veneratus sum, Frater, sed vix temperem, quin istam, quâ Domini de Witte scripta inusta sunt, censuram minus justam esse existimem, nè dicam præcipitem. Nihil in scriptis Domini de Witte deprehendi, nisi Catholicum; imò sententiam ejus puto ad fidem Divinam pertinere, & à Deo referatam.* Et tamen nullus ex istis Antipontificiis est, nullus ex Jansenistis, qui cum Quesnello non adhibeat omnes honoris titulos à Quesnello CLEMENTI XI. ad blandiendum pariter, & fallendum attributos. Est, inquit, Pontifex *Successor Principis Apostolorum*, sed Princeps ille, etsi dignitate primus, ut inter fratres natu maximus, ut ordine primus inter Canonicos, & inter Senatores, sive, ut Ægidius loquebatur inter *Magistratûs Scabinos prior Scabinus*, nullum tamen in ceteros Apostolos jus habuit, velut Superior in subditos, cum juxta novos Augustini discipulos essent omnes in universalis Ecclesiæ gubernatione æquales.

Quæ hæresis pluribus eorum libris tradita, ab Innocentio X. anno 1647. 14. Januarii Anathemate confixa est. Verba Decreti sunt, : *Editus est anno 1645. liber Gallico idioma impressus cui titulus: De l'autorité de Saint Pierre, & de S. Paul, qui reside dans le Pape successeur de ces deux Apôtres, & absque nomine Authoris, & impressionis loco. Hujus libri evulgationem subsecuta est editio alterius libri anonymi eodem idioma impressi, cui titulus: La Grandeur de l'Eglise Romaine établie sur l'autorité de Saint Pierre, & de S. Paul.*

,, Nec